

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE VI.

A R G V M E N T V M.

Scribuntur haec: Appium, qui cum Cicerone in gratiam redierat, a Dolabella esse accusatum: cauendum Ciceroni, ne, si Appio non stuerit, parum simpliciter et candide inimicitias deposuisse videatur: uxorem a Dolabella discessisse: posse ei Tulliolam, Ciceronis filiam, collocari: Pompeium valde pro Appio laborare: summam esse consulum negligentiam: totam otiosam esse ciuitatem: Bibulum in Syria male pugnasse: Curionem tribunum plebis, mutata voluntate, ab optimatibus ad Caesaris partes transiisse: Appii gratiam se cupere: Dolabellae afinitus si probetur, celandum: nisi pantheras Graecas habeat, turpe Ciceroni futurum. Tota negotialis est epistola: scripta Paulo et Marcello coff. Respondit Cicero lib. 2. epist. 13.

EXPLANATIO.

Appium] Quem e prouincia Cilicia redeuntem Dolabella, qui postea gener Ciceronis fuit, de maiestate accusauit. quamquam et de ambitu postulatum esse, absolutumque utroque crimine, significant epistolae duae, 11. et 12. lib. 3.

Dolabella] Corneliae gentis patriciae; qui ad plebem postea transiit, ut tribunus plebis fieri posset. quo in magistratu legem ferre de tabulis nouis conatus est, ut aere alieno, quod grauissimum contraxerat, leuaretur.

Reum factum] Fuit hoc apud Romanos in more positum, ut adulescentes, gloriae comparandae causa, viros nobiles, honoribusque functos, accusarent. Sic L. Crassus ille princeps in eloquentia C. Carbonem consularem, sic Cicero C. Verrem praetorium, sic M. Coelius ipse C. Antonium consularem, Ciceronis collegam, accusauerat. erat autem hoc Romae gloriosum, propterea quod, qui ab aliis rationem vitae reposcerent, illi legem

sibi ipsi innocentiae, continentiae, virtutumque omnium indicere viderentur. de quo praeclare, ut omnia, Cicero noster in prooemio actionis vltimae in C. Verrem. *Reum facere*, non est accusare, sed postulare, id est petere sibi actionem in aliquem; de quo plenius infra. pro Seauo, reus, inquit, factus est a Q. Seruilio Carpione. quod ab accusatione ipsa diuersum esse, Asconii ostendit interpretatio.

Inuidia] Aduersa hominum voluntate: ut alibi.

Ad tribunal] Praetoris. crimen enim de maiestate publicum fuit: publicis autem iudiciis praetores praefuisse, ostendimus in libro de Legibus.

Triumphum postulationem abiecerat] Urbem enim nempe cum imperio introibat, praeter eos qui triumphabant: quorum causa lex ferebatur, ut imperium retinerent eo tantum die, quo triumphantes inueherentur. exemplis nota res est. Appius autem, abiecto triumphandi consilio, statim urbem ingressus

gressus est, ut obdisteret accusationi. lib. 3. epist. 10. *Illud plane moleste tuli, quod certissimum et infissimum triumphum hoc invidorum consilio esse tibi creptum videbam.*

Retudit] Repressit, sedauit eorum sermones, qui de Appii damnatione loquebantur.

In te] Successore suo: qui si contuleris in eum studia et officia tua, proderis plurimum. Accusatus erat Appius ob ea, quae in provincia contra maiestatem populi Romani commiserat. itaque lib. 3. epist. 10. *De me, inquit, tibi sic, contestans omnes deos, promitto atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute,) in hac provincia, cui tu praefuisti, rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis (ut spero) apud ciuitates, grauitate imperatoris suscepturum officia atque partes.*

Tibi cum non esse odio] Minus est, quam, eum a te diligere. quasi dicat: cum in gratiam cum eo redieris; cum eius filiarum una Cn. Pompeii filio, altera M. Bruto nupserit; haec, ne tibi odio sit, efficiunt: amare autem fratrem inimicissimi tui non potes. Cicero, non eum modo a se diligere, sed valde etiam diligere, respondit. lib. 2. epist. 13.

In tua manu est] Cum eam provinciam, cui praefuit Appius, et unde testes in eum excitari possunt, administres.

Simultas ERN. Simultates] Simultates Ciceroni cum Appio, inimicitiae vero fuerunt acerbissimae cum eius fratre P. Clodio. *Simultas* autem et medioere odium est, et simulatione rectum.

Ad illam summam veritatem] Sic antiqui libri, nec, opinor, mendose. Si legitimo, inquit, iure uti volueris, nihil ut pro Appio, nisi quod summa veritas, id est summa iustitia, praescribit, agendum tibi existimes: suspensionem fidei reconciliatae gratiae fortasse aliquam dabis. Expressit Cicero aliis verbis eandem sententiam lib. 3. epist. 12. *Vetus, inquit, nostra similtas antea stimulabat me, ut cauere, ne cui suspensionem fidei reconciliatae gratiae darem.* Ea de re sententiam egregiam recitat Hieronymus in Apologia aduersus Rufinum, ex Ciceronis oratione pro Gabinio. *Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitis reuocatae in gratiam: propterea, quod integris amicitis officium praetermissum, imprudentiae, vel (ut grauius interpretemur) negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet.*

Legitimum ius] Summum ius antiqui summam putabant crucem: ut ait Columella lib. 1. c. 7. et *summum ius, summa iniuria*: ut Cicero lib. 1. de Offic. c. 10.

In hanc partem] Hoc quasi antitheti loco posuit, quia dixerat, *ad illam summam veritatem*. In hanc igitur partem, leniorem, quae a summo illo iure distat.

Nemo enim] Si quid Appii causa facies, dicent omnes te non esse deteriore ab officio, necessitudine et amicitia, quae tibi cum Dolabella intercedit.

Postu-

Postulationem et nominis delationem] Prima igitur postulatio, secunda nominis delatio, postrema accusatio fuit. postulabatur primum, vt accusare aliquem liceret: deinde, hoc impetrato, nomen eius deferabatur: postremo accusabatur. In tabula aenea Torquati Bembii, Petri filii: *De ea re eius petitio, nominisque delatio esto.* Pro domo c. 19. *Nomen Sex. Propertii detulit. accusare alienae damnationis scelerisque socios, propter calumniae metum, non est ausus.* Interdum postulare, pro accusare accipitur.

Vxor] Vt cum vxore vir, ita cum viro diuortium faciebat vxor. exemplum epist. 7.

Mandaris] Mandauerat, vt collocandae filiae suae curam susceperet. de quo ad Appium lib. 3. epist. 12. ipse se excusat his verbis: *In quo vnum vereor, ne tu parum perspicias ea, quae gesta sunt, ab aliis esse gesta, quibus ego ita mandaram, vt, cum tam longe absfuturus essem, ad me ne referrent, agerent, quod probassent.*

Quid ego tibi scripserim] Scripserat fortasse, magnam esse proborum adolescentium penuriam, quibus Tullia collocari posset. nam de Dolabella, a quo discessuram vxorem coniicere non potuerit; nunc primum facto diuortio scribit.

Res] Vt ei nubat filia tua.

Inuidiosum] Ne infamiae tibi sit, quod affinitatem cum eo iungere vuleris, cum quo, depositis inimiciis, in gratiam antea redieris, quique tibi, cum augur sit uterque vestrum, ab ipsa collegii coniunctione commendetur.

Si emanarit] Si quid homines de matrimonio rescierint.

Deceat] Pro reconciliata cum Appio gratia.

Expediat] Appium enim offendes: quod vtile non erit: cum amicis, propinquis, affinibusque floreat. filiam enim Appius Cn. Pompeio filio, alteram M. Bruto, tertiam Lentulo, in matrimonium locauerat. lib. 3. epist. 4. et 7. Hinc illud Ciceronis huic epistolae respondentis lib. 2. epist. 13. *Cur mihi non in optatis sit, completi hominem, florentem aetate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis; collegam meum praeserim, et in ipsa collegii laude ac scientia, studiosum mei?*

Spei] De Appio damnando. nam affinitatis famam suis consiliis opportunam vtilemque fore sperabit.

Negotio] Quod agit contra Appium.

Tanto illustrior] Affinitas haec ob accusationem Appii multo erit illustrior ac notior, quo studiosius eam Dolabella peruulgauit.

Pompeius] Cuius filio nupta erat Appii filia. lib. 3. epist. 4.

Ad te] Vt auctoritatem gratiamque tuam ad Appii salutem conferas. testes enim ex ea prouincia, cui successor Appii Cicero praeerat, vel reum opprimere, vel periculo liberare poterant omnes.

Absoluimus] Appium: id est, absolutum iri omnes putamus. quod ita contigit, defendentibus eum genero M. Bruto, et Hortensio oratore. quod in Bruto c. 64. scriptum est.

Confecta] Sic olim emendauit, secutus antiquum Petri Bembii librum, et alterum Ioannis Scalae, in quo non omnino diferte, *confecta*,

fecta, vt in Bembi libro, sed, *confecta* legebatur. postea in Alberti Ferri libro, *confecta*, animaduerti. Confecta, inquit, adhuc a Dolabella, foeda omnia sunt et inhonesta: vt odium potius, quam veritatem vllam, prae se ferant. Quid tamen, si, *confecta*, legatur? vt sit, confecta omnia, foeda et inhonesta sunt. Quid etiam, si hoc totum non de vno Appio, sed de omnibus reis vniuerse dicatur? hoc modo: nos hic reos omnes absolvimus: et hercules confecta iudicia, foeda omnia et inhonesta sunt. Confirmare videtur hanc opinionem, quod sequitur de consulum negligentia: quod ipsum non satis apte cum Appii accusatione, cum publica vero iudiciorum turpitudine aptissime connectitur. Sigonii liber, et alii, *conscripta omnia foedera*: vnus, *conscripta*. Medicus, *conscripta omnia foedera*. Ioanni Baptistae Titio placet: *conscripta*: quasi, munita: quod reos nemo condemnet. tuta igitur culpa, veluti saepe moenibus. Proxime dixit: *Hic nos omnes absolvimus*.

Consules] L. Paullus, C. Marcellus.

De feriis Latinis] Singulis annis in Albano monte, populi Romani Latinorumque conuentu, sacrificium fiebat, distributa singulis populis iumolatarum hostiarum carne. *Latiar* vocabatur, quod Latiali Ioui fieret: conuentus autem ille, *feriae Latinae*: quarum auctor Superbus rex fuit, vno iis die dicato: post reges eiectiones alter additus: tertius post foedus cum Latinis iectum, Sp. Cassio consule: anno CCCXCVI. quartus.

Dionysius, Liuius, Plutarchus, Cicero, alii.

Nullum] Quibus de rebus ad senatum retulerunt, de iis nullum omnino senatus consultum factum est. nihil igitur auctoritate, nihil eloquentia valent. De feriis autem Latinis si senatus consultum fecerunt, vtitur est: non ideo probatur eorum diligentia.

Conglaciata] *Frigere* dicimus eos, qui nihil agendo tempus trahunt. hoc magis est: nam glacie summum frigus indicatur. summa igitur Curionis ignauia, lib. 2. epist. 13.

Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem] Aquarum publicarum cura ad aediles curules pertinebat; propterea Coelius, qui aedilis curulis erat, cum tabernariis et aquariis, publicas aquas ad priuatum vsum conuertentibus, pugnabat. qua de re Frontini verba de Aquaeduct. art. 75. 76. recitabo, quae magnam huic loco lucem afferunt: *Cuius rei, inquit, causa est, fraus aquariorum, quos aquas ex ductibus publicis in priuatorum vsum deriuare deprehendimus. Sed et plerique possessorum, et quorum agris aqua circumducitur, inde formas riuorum perforant; unde fit, vt ductus publici hominibus priuatis vel ad hortorum vsum subserviant, vel ad itinera suspendunt. Ac de vitis, eiusmodi nec plura, nec meliora dici possunt, quam a Coelio Raso dicta sunt in ea concione, cui tuus est, de aquis. Quae nunc nos omnia, frivoli licentia usurpata, vti nam non per offensas probaremus: irriguos agros, tabernas, coenacula etiam, corruptelas denique omnes perpetuis salientibus*

Mm

bus

bus instructas inuenimus. Haec Frontinus. *Aquarii* erant, quibus deducendi in urbem publicas aquas cura mandabatur. quod et recitata proxime, et illa praeterea eiusdem Frontini verba art. 9. satis ostendunt: *Aquarii nostri partem maximam eius (Crabrae) semper in supplementum Iuliae adiudicauerunt: nec ut Iuliam augerent, quam hauriebant largiendo, compendii sui gratia.* Ab hac forsitan assestandae et perducendae aquae similitudine dicti sunt *aquarioli*, qui mulieres impudicas, ut ait Festus, assectarentur: et *aquarioli* in stupris vxorum conuientes, ut aquarii in derinationibus aquarum publicarum. *Tabernarios* vocat Coelius non omnes omnium mercium insitiores, verum eos tantum, quorum in tabernis cibi gratia homines diuertunt, nam hi publicas aquas in usum suum conuertebant. Distert autem *taberna* ab *officina* et *apotheca*. *Officina* tempore prior est utraque, nam in ea fiant, quae postea vel in apothecam custodienda, vel in tabernam vendenda deferantur. *Apotheca* est, quae multas capit custoditque merces, ut deinde ad tabernas missa proflent venalia. hodie, corrupto vocabulo, ab apothecis nomen acceperunt ea loca, quae a veteribus tabernae dicebantur. *Taberna* tantum habet, quae minutatim vendantur: cui qui praestit, *insitor* vocatur: qui autem apothecae, *mercator*. sunt et tabernae, in quibus habitant pauperes. vnde Horatius lib. 1. Carin. od. 4. v. 13.

*Pallida mors aequo pulsat pede
pauperum tabernas,*

Regumque turres. —

Veternus] Morbus ex ignauia contractus, qui somnum inducit. Plautus in Men. Act. 5. Sc. 4. v. 3.

Num eum veterinus, aut aqua intercus tenet?

et Virgilius lib. 1. Georg. v. 124.

Nec torpere graui passus sua regna veterino.

Lib. 2. epist. 13.

Calscuiunt] Exercent, illato bello. nam ex bello motus, ex motu calor. lib. 7. epist. 10. *Vos nunc istis satis calere audio.* et lib. 7. ad Attic. epist. 20. *Te ipsum istic iam calere puto, cum animi perturbationem significet.*

Frigore] Otio: ex quo frigus inducitur, ut exercitatione corporis calor.

Potuit sine Parthis] Etsi frigemus hic, tamen, calefieri vos a Parthis, non optamus. commodum fuit, vos esse sine Parthis, nullum vobis a Parthis negotium exhiberi.

Bibulus] Qui Syriae praeerat.

Amisit] De hoc detrimento sic lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Venit interim Bibulus. credo voluit appellatione hac inani nobis par esse. in eodem Anno coepit laurentum in musticeo quaerere. at ille cohortem primum totam perdidit, centurionemque principali, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, et reliquos cohortis eiusdem, et Sex. Lucilium, T. Gaii Caepionis, locupletis et splendidi hominis filium, tribunum militum. sane plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore.*

Si] Potest aliter esse, sed nunciatum sic est.

Supra scripsi] Plures igitur dies hanc epistolam Coelius in manibus habuit.

Feru-

Ferventissime] Vehementer. calere igitur eum, mirum non est. Sic epist. 8. *de damnatione ferventer loqui est coeptum*. Sic lib. 10. epist. 23. *ferventes latrones*, pro vehementes, iracundiaeque impetu concitatos, dixit.

Concerpitur] Carpitur, mouetur: a quo? a se ipso, suis actionibus pro Caesare, nouisque legibus, viaria, et alimentaria. Iure sordes verborum in Coelio damnauit antiquitas. quid enim hoc est, *ferventissime concerpitur*?

De intercalando] De die producenda, ut eo, quae pro Caesaris causa cogitabat, commodius posset ad exitum perducere, sic enim Dio narrat lib. 41.

Non obtinuerat] A collegio pontificum. id enim Dionis ostendit historia. et interkalandi potestatem penes eos fuisse, qui fastis praecerant, Macrobius lib. 1. Saturn. c. 13. docet his verbis: *Dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis praecerant; uti, cum vellent, interkalaretur. Et c. 14. Fuit tempus, cum, propter superstitionem, interkalatio omnis omissa est. nonnunquam vero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio, modo retractio dierum proueniebat. Sacerdotes autem, quos Macrobius ait fastis praefuisse, pontifices fuere: quod Liuii verba testantur lib. 9. c. 46. Civile ins, inquit, repositum in penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. Et pontificem, cum interkalationem petiit, Curio-*

nem ipsum fuisse, ex Dione cognoscitur.

Transfugit] Desertor optimatum, quos antea defenderat. epist. 8.

Vicariam] De sternendis munimentisque viis. Appianus lib. 2. de bell. ciu.

Non dissimilem agrariae Rulli] Quid hoc sit, mihi videor ab Appiano didicisse lib. 2. de bell. ciu. ut enim P. Seruilius Rullus in ea lege, quam de agris diuidendis in tribunatu ferre conatus est, hoc potuit, ut ipse primus decemuir, qui agros diuideret, crearetur; itein Curio, cum viariam legem ferret, eam sibi ipsi curationem in quinquennium petebat. quod per leges non licere, Cicero in Agraria 2. c. 8. declarat his verbis: *Quos decemuiros creari vult? Se primum. Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eae consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribuniciae, vobis maioribusque vestris vehementer gratiae atque iucundae. Licinia est lex, atque altera Aebutia; quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ne potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatione mandetur.*

Alimentariam] Fortasse de frumento plebi gratis diuidendo, ut infimorum hominum studia sibi compararet. quod antea quoque sediciosi tribuni plebis, primum C. Gracchus, deinde Saturninus, postremo P. Clodius, Ciceronis inimicus, tentauerat. oratio pro Sextio c. 48. epitome Liuiana lib. 60. lib. 11 ad Her. c. 12. Pedianus ad orat. in Pison. c. 4.

Quae ERN. Quas] Fortasse, quae ut alimentaria sua lege iuberet Curio aedilis metiri frumentum plebi.

Mm 2

Iasta-